

& cum maximè suum vera pro falsis eligendi studium probare connituntur. E plurimis exemplis quibus hoc confirmare in proclivi esset, duo saltem hîc afferemus in medium, alterum jam antehac in Cartesiano quodam, alterum nuperimè in Peripatetico Celebriore notatum. Ille namq; in Clave Philosophiæ Naturalis Aristotelico-Cartesiana secun-
 „ dùm edita p. 201. Veram philosophandi libertatem, quæ
 „ aliud nihil sit, quàm libertas judicandi secundum ratio-
 „ nem, tam putat in uno potissimùm, quàm in diversis atq;
 „ inter se dissentientibus posse autoribus servari, sive docen-
 „ tes, sive discentes spectes: Neq; adeò necessum esse, uti
 „ multorum opinio fert, Eclecticum esse debere per omnes
 „ sectas vagando, qui futurus liber philosophus est. Quin
 „ hanc maximam servitutem esse putat, cum possit esse ve-
 „ ritas in uno & ab uno occupata, in aliquibus saltem: Neq;
 „ tum amplius liberum esse quicquam aliud amplecti, nec
 „ necesse esse quærere aliud. Quis non miretur acutissi-
 „ mum aliàs Virum inter liberè philosophantes connumerari
 „ velle, sed eâ conditione, ut in unis Cartesii scriptis, à quo sc.
 „ uno veritatem occupatam esse supponit, libertatem secun-
 „ dùm rationem judicandi exercere sibi liceat, neque necessi-
 „ tas sibi imponatur aut Aristotelicam philosophiam aut secta-
 „ rum aliarum autorumq; à Cartesio dissentium opiniones &
 „ cogitata attendendi, utpote quod maximam esse servitutem
 „ putat? Et quis restrictæ libertatis hujus fundamentum non
 „ agnoscat abundantiam affectûs erga Renatum Cartesium
 „ admissamq; in ipsius gratiam hypothesin, quòd omnis ab
 „ uno veritas occupari possit, quam esse falsissimam in superi-
 „ oribus abundè ostensum est, ac ipse quoq; vel invitus innuit,
 „ dum addit, in aliquibus saltem id fieri posse; hoc ipso neces-
 „ sum esse confessus, in cœteris omnibus non occupatam ab
 „ illo uno veritatem apud alios quærendam esse, nec excludi
 „ hîc unum magis cum ingenio & industria philosophantium,
 „ quàm